

PAVLO III. PONT.  
OPT. MAXIMO.

THOMAS CAMPEGIVS,

Episcopus Feltren. Felicitatem.



PROPTER ueritatem,  
mansuetudinem, & iu-  
stitiam, deduxit te mira-  
biliter dextera Domini,  
Paul e Pōr. Opt. Max. Iu-  
stitia & iudicium præpa-  
ratio sedis tuæ. Præuenit te Dominus in be-  
nedictionibus, & posuit in capite tuo coro-  
nam de lapide pretioso. Induit te Domi-  
nus uestimentis salutis: & indumento iusti-  
tiæ circumdedit te, quasi sponsum decoratum  
corona, & quasi sponsam ornatam monili-  
bus suis. Quia dilexisti iustitiam, & odisti  
iniquitatem: propterea unxit te Deus, De-  
us noster, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.  
Dextera Domini fecit uirtutem: dextera  
Domini exaltauit te. Talem decebat, ut ef-  
set nobis Pontifex, sanctus, innocens, im-  
pollutus, segregatus a peccatoribus. Erit  
opus tuum iustitia. Pax & cultus iustitiæ,  
silentium & securitas. Sedebit populus tuus  
in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fi-  
ducia, & in requie opulenta. Lætamini ita-

THOMAE CAMPEGII,  
 BONONIENSIS, EPISCO-  
 PI FELTRENENSIS, DE AVCTO-  
 RITATE ET POTESTATE  
 ROM. PONTIFICIS IN  
 ECCLESIA DEI.

*Dominus noster Iesus Christus ascendens in caelum  
 vicarium in terris dimisit, qui eius vice caput &  
 rector ecclesiam regeret & gubernaret. Cap. I.*

**V** M de auctoritate Romani  
 Pontificis in ecclesia dei, sit à  
 nobis differendum; erit susce-  
 pti laboris exordium expone-  
 re, quòd, quamvis Christus  
 Iesus, ut deus, & homo, caput sit uniuersae  
 ecclesiae: ad Eph. cap. I. & IIII. &, quoad  
 humanitatem, eiusdem sit naturae cum ho-  
 minibus: consentaneum tamen fuit, & con-  
 gruum, ut ex mortali factus immortalis, cum  
 caelum conscendit, aliquem in terris dimitte-  
 ret, qui eius vice caput & rector ecclesiam  
 regeret, ad quem mortalem mortales, & ter-  
 renum terreni homines, quibus coeli aditus  
 ante obitum praeccluditur, confugere possent,  
 in illis rebus, in quibus, pro humani generis  
 imperfectione, iudice egerent, & direttore,  
 ea ratione qua Deuter. xvi. constitutum



## DE RESIDENTIA

## EPISCOPORVM.



RESIDENTIAM Episcoporum in suis ecclesiis necessariam esse & opportunam, illos uero magna dignos reprehensione, qui non resident; comprobatur quamplurimis sacrae scripturae testimoniis, & sanctissimorum conciliorum decretis, & primo, Hier. x i i. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum desolationis, posuerunt eam in dissipationem, luxerunt super me desolatione: desolata est omnis terra, quia nullus est, qui cogitet corde. & capite x x i i i. Vos disperdistis gregem meum, & eiecistis eos, & non uisitastis eos. ecce ego uisitabo super uos malitiam studiorum uestrorum, dicit dominus.

His concordat Ezech. cap. i i i. Fili hominis, speculatorem dedi te de ore meo, uerbum ut annuncietis eis ex me. si dicente me ad impium, Morte morieris; non annunciaueris ei, neque locutus fueris, ut auertatur a uia sua impia, & uiuat; ipse impius in